112

MODVS EXAMINANDAE CONSTRVCTIONIS IN ORATIONE, IOHANNE PELLISSONE CONDRIENSI AVTHORE.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA NAZIONALE



PARISIIS.
Ex officina Rob. Stephani typographi Regij.
M. D. XLIIII.

IOHANNES PELLISSO CONDRIENSIS R. IN CHRISTO P. AC D. DOMINO CLAVDIO A' TVRNONE, VIVARIENSI EPISCOPO S. D. P.

ME longè feſellit quorundam perſuaſio, Antiſtes ampliſſime, futurum ut cum ſuauiſſimus nepos tuus Lutetiæ mihi curandus eſſet, nullam tamen in eo erudiẽdo operam ſumere me oporteret: ſatis enim profecturum illum, dum frequẽs & aſſiduus in ſcholis ſuis uerſaretur. Quòd niſi me ei præceptorem omnino præbuiſſem, bonámque diei cuiuſque partem eũ in cubiculo meum retinuiſſem: periculum erat ne temporis & rei iactura fieret: ita ſibi, non pueris, delegatam docendi prouinciam gerunt quidam, præſertim qui extremis diſcentium ordinibus præficiuntur. Qua in re, quantum ab eiuſmodi hominibus peccetur, non eſt quod palàm faciam: neque enim tutum eſt, in qua ſum naui, hanc ego perforem. Itaque elegantiſſimum nobiliſſimúmque puerum nepotem tuum ſemper hîc, quoad eius fieri potuit, ſeorſum docui. Quo pacto, quáque uia, è rudimẽtis, quæ ſuperiore anno ad utilitatem eius conſcripſi, ſimul ex interrogatiunculis, quibus illum ſolitus ſum exercere in Terentianis Comœdijs & epiſtolis Ciceronianis, coniectes licebit. De re utraque editus eſt libellus. Huc enim me perpulerunt amici quidam, quòd dicerẽt magno puerorum commodo id ceſſurum, ſiqui ex parum exercitatis præceptoribus, aut hanc docendi rationem ſeque-

rentur, aut exemplo meo adducti, meliorem excogitarent. Vtut erit, certè & meam in te obſeruantiam, & meum in nepotem tuum ſtudium declaratū uolui. Nam *è duobus illis libellis, alterum amplitudini tuæ, alterum aduleſcētulo dicaui.* Nec *uerò me nominis tui magnitudo deterruit, quò minus ſperarim fore ut boni conſuleres quic quid quoquo modo feciſſem nepotis tui cauſa, quem tua pietas honeſta conditione diligentiæ meæ credidit.* Atque *utinam id mihi largiatur benigniſſimus deus, ut qualem tu eum mea opera fieri cupis, talem tibi reddere tandem ego poſſim.* Bene *uale præſul ornatiſſime.* E Lexoueo. V. NON. OCTOB. M.D.XXX.

IOHANNIS PELLISSONIS CONDRIENSIS DE MODO EXAMINANDAE CONSTRVCTIONIS IN ORATIONE, DIALOGVS.

INTERLOCVTORES,

PRAECEPTOR, DISCIPVLVS.

PRAECEPTOR.

DIC mihi aduleſcentule, quis tibi enarratur author? D. M. Tul. Cicero.

P. In quo opere? D. In epiſtolis familiaribus.

P. Recita tibi prælecta. D. Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatiſfacio omnibus: mihi ipſe nunquam ſatiſfacio. Tanta eſt enim magnitudo tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu, niſi perfecta re, de me non conquieſti: ego, quia non idem in tua cauſa efficio, uitam mihi eſſe acerbam putem.

P. Non progrederis ultra? D. Nempe quod hic putem eſſe periodum.

P. Quid ergo eſt quod ſequitur? D. Principium alterius ſententiæ.

P. Iam quid uocas periodum? D. Orationis continuationem uſque ad id quo ſenſus concluditur. Id eſt, In lectione totam aliquam ſententiam: ſeu mauis, orationis uelut integrum corpus.

P. Græcum nomen eſt Periodus? D. Scilicet.

P. Quomodo interpretatur Latinè? D. Quintiliano authore, uel ambitus, uel circunductus, uel cōtinuatio, uel concluſio.

P. Quur ambitus uel circunductus? D. Quòd in orationis ſerie ea ſit uocum circuitio ac comprehēſio, qua & impletur & abſoluitur ſententia.

P. Quur autem concluſio? D. Quia non prius eſt periodus, quàm peruenit ad extremam clauſulam.

P. Quid? periodi quot ſunt partes? D. Duæ: colon & comma. Ex his enim conſtat omnis periodus: ſiquidē ex commatis fiunt cola, ex colis periodi.

P. An non his quoque Latina nomina data ſunt? D. Quidni? Illi membrum, huic inciſum.

P. Quid tandem appellas membrū? D. Perfectum quidem orationis textum: ſed cuius tamen ſenſus adhuc pendeat, atque aliud quidpiam ſibi adiungi poſtulet.

P. Quid inciſum? D. Membri partem, quæ ab integro abſciſſa nihil prorſus efficiat. Illud colō dictum eſt, quòd ſit tanquam integrum membrū à corpore amputatum: Hoc comma, quaſi eius ipſius trunca mēbri pars.

P. Ita res eſt. Sed in omni colo quid primùm quærēdum eſt? D. Verbum, opinor.

P. Næ hic ſcopus eſt. Conuenit enim ante omnia in uerbum reſpicere, quid ſibi uelit, & quid agat: an perficiat ſenſum, nécne: unde, quò feratur, id eſt quid ante ſe, quid poſt ſe exigat: quur hunc potius, quàm illū admittat caſum: quur alicubi interueniat præpoſitio: quid ei faciat aduerbium. breuiter quo pacto quæque dictio cum eo conſtructa ſit. Nam ex eo in oratione ferè pendēt omnia. D. Intelligo.

P.Intelligis?Dic ergo quo pacto hæc diſpicias omnia? tum pro arbitratu,& de animi tui ſententia? D. Imo uerò ex certo quodam Grammaticorum præſcripto textum in ordinem ſcholaſticum redigam:& quod inuolutum erit,explicabo.

P.Expecto quid dicas. D.Primùm ſi erit uocatiuus, ab eo incipiam.Hinc ſtatim ueniam ad nominatiuum, quod ſuppoſitum uerbi dictitant. Deinde uerbum ipſum capiam:cui accedet,ſiquod aduerbium eius ſignificationem declarabit. Tũ caſus omnes adiungam, quos uidero conſtructos cum eo à parte poſteriore.Vt ad pauca redeam,Quæcunque dictio alterã adſciuerit,hãc illi præponam.Ita fiet,opinor,ut omnia mihi ſint aperta.

P. Rectè ſentis.Verum non ſunt alia,unde iſto pacto ſententiam ordiare? D.Sunt profectò,& quidẽ multa: Nempe aduerbia demonſtrãdi,hortandi,uocandi,reſpondendi,optandi: quædam temporis,ut cum, dum, quando, quandoquidem, &c. Item aduerbia interrogandi, negandi,eligendi,prohibendi,ordinis,ſimilitudinis. Præterea interiectiones,& ferè coniunctiones.ab his omnibus initium capit grammaticus ordo.Præcedũt etiam interrogatiua,relatiua,negatiua, diuiſum, & antecedens relatiui,cuiuſcunque caſus fuerint.

P.Quur nunc ordinem ſcholaſticum,nunc grammaticum nominas? D. Scholaſticum dico, quòd in ſcholis protritus ſit:grammaticum,quòd iuxta canonas grammaticos conſtituatur:neque is eſt,quo teximus orationem,certè quum ipſi eleganter aut loquimur,aut ſcribimus:tũc enim tale nihil moramur.Nam quo modo locuti ſunt ueteres Latini,alia ratione non habita,loqui ſtudemus.Sed eſt reſolutio quædam textorũ,qua docendi gratia in au-

thoribus enarrandis abutimur.

P.*Agedum,in hac periodo cola quot ſunt?* D.*Sex.*

P.*Cedò quæ?* D.*Ego omni officio, ac potius pietate erga te,cæteris ſatiſfacio omnibus.primũ colon eſt.* Mihi *ipſe nunquam ſatiſfacio.ſecundũ.* Tanta *eſt enim magnitudo tuorum erga me meritorum.tertium.* Vt *quoniam tu,niſi perfecta re,de me non cõquieſti.quartum.* Quia *non idem in tua cauſa efficio . quintum colon eſt.* Vitam *mihi eſſe acerbam putem.ſextum.in quo eſt periodus & clauſula,id eſt totius ſententiæ concluſio.*

P.*Quot in eadem ſunt commata?* D.*Tria.*

P.*Fac uideam.* D. *Nam in primo mẽbro ſunt duo* Prius *eſt,*Ego *omni officio. Alterum eſt,* Ac *potius pietate erga te .* Tertium *eſt in membro illo,* Quoniam *tu, niſi perfecta re, de me non conqueſti.Niſi perfecta re, comma eſt ſeu inciſum.*

P. *Quæ ſunt in his omnibus neceſſariò ſpectanda?*

D.*Ea ipſa,quæ in conſtructione partiũ orationis conuenientia,& exigentia cum delectu.*

P.*Ordina ergo primũ colon.* D.*Ego ſatiſfacio omnibus cæteris omni officio,ac potius pietate erga te.*

P.*Dic uerbum.* D.*Satiſfacio.*

P.*Quid ſignificat Satiſfacere?* D.*Aliquem,ut ſic dicam,explere.Satiſfacere generale eſt in præſtando, efficiendóque illud quo quis contẽtus ſit.* Vulgus *Gallicum dicit contentare.*

P.*Quodnam uerbum eſt?* D.*Perſonale.*

P.*Finiti modi,an infiniti?* D.*Finiti.*

P.*Cuius?* D.*Indicatiui.*

P.*Quæ eſt eius exigentia?* D.*Exigit ante ſe nominatiuum perſonæ agentis,eiuſdem ſecum numeri,& per-*

ſonæ: & poſt ſe datiuum perſonæ patientis cum ablatiuo ſine præpoſitione, ſi ſenſus exigit.

P. *Cur addis, ſi ſenſus exigit?* D. *Quia poteſt carere ablatiuo: ut,* Hoc *mihi non ſatiſfacit. id eſt, non explet mihi animum.*

P. *Quis eſt canon de nominatiuo anteriore?* D. *Omne uerbum perſonale finiti modi exigit ante ſe &c.*

P. *Quis de datiuo poſteriore?* D. *Omne uerbũ cuiuſque generis habere poteſt etiã præter alios caſus, &c.*

P. *Quis autem canon de ablatiuo ſine præpoſitione?* D. *Cum omni genere uerborum inſtrumentum quoduis; item cauſa efficiens, item actionis modus, &c.*

P. *Oſtende id genus nominatiuum ante uerbum.* D. *Ego.*

P. *Expreſſúſne eſt, an ſubauditus?* D. *Expreſſus eſt.*

P. *Quur expreſſus, quum in uerbis primæ & ſecundæ perſonæ ſatis intelligatur nominatiuus?* D. *Quia in eo eſt emphaſis.*

P. *Quid eſt emphaſis?* D. *Figura altiorẽ præbens intellectum, quàm quem uerba per ſeipſa declarant.*

P. *Hanc ergo monſtra hîc eſſe.* D. *Nam ita capio, O Lẽtule, quàm ſint in te officioſi alij amici tui, non ſcribo: ſed de me illud tibi affirmo, me amicum tibi talẽ eſſe, me in te ita officioſum eſſe, ſic agnoſcere, ſic in memoria habere tua in me merita, ut dicant quidem omnes, eorum me nihil omittere, quæ amici gratia, eius quidẽ cui plurimum debeas, par ſit obire & præſtare: ſed tamen omnia cum faciam, & nihil intentatum tua cauſa relinquam, mihi ipſe uidear nihil facere: adeò magni pẽdo quæ tu mea cauſa feciſti.*

P. *Oſtende conuenientiam.* D. *Ego, eſt nu-*

meri ſingularis,& primæ perſonæ: Satiſfacio item, eſt numeri ſingularis,& primæ perſonæ.

P. *Quid eſt conuenientia?* D. *Orationis partium inter ſe certus in aliquot accidentibus ſuis conſenſus.*

P. *Quotuplex eſt conuenientia?* D. *Triplex: Nominatiui cum uerbo, adiectiui cum ſubſtantiuo, & relatiui cum antecedente.*

P. *Oſtende à poſteriore datiuum.* D. *Cæteris omnibus.*

P. *Cæteris, quomodo conſtructũ eſt cũ omnibus?* D. *Sanè in recta adiectiui cum ſubſtantiuo conuenientia: utrunque enim eſt numeri pluralis, datiui caſus, & maſculini generis.*

P. *Adiectiui cum ſubſtantiuo: atqui utrunque eſt adiectiuum.* D. *Non inficior, ſi extra hanc orationem accipiantur. Sed hîc omnibus, uim obtinet ſubſtantiui à nominatiuo omnes, omnium, &c.*

P. *Quid in hoc deputas elegans?* D. *Quòd ipſum nouiſſimo ſit loco poſitũ. Præceptio nanque eſt elegãtiæ, Superlatiuus, negatiua nomina, nomẽ omnis, & quodlibet adiectiuum, quo magnificum quiddam ſignificatur, poſt alia ut quum frequentiſſime collocari ſolent. Paradigmata ſunt, Non offertur dicendi materies ampliſſima. Qui ſuo iure cedere ultrò uelit, reperias neminem. Quæ tu dixiſti, uera ſunt omnia. Alexander ille Magnus.*

P. *Cedò ablatiuum ſine præpoſitione.* D. *Omni officio: ac rurſum hîc adiectiuum congruè iũctum eſt ſubſtantiuo in eodem numero, genere, & caſu.*

P. *Quid proprie eſt officium?* D. *Quod quiſque efficere debet pro ſuæ cõditione perſonæ. in quo animaduertere oportet, quid loco conueniat, quid tempori, quid*

rerũ, aut perſonarũ dignitati. Gallicè, Le debuoir d'ung chaſcun. Vt, In familia bene inſtituta, omnes in officio eſſe oportet, En une maiſon bien ordonnee, fault que chaſcun face ſon debuoir. Vnde qui officium ſuum facit, is eſt qui rectè facit. Nam officium dicitur, quaſi efficium, ab efficiendo: quod unicuique perſonæ congruit. Cõuenit autem ut quiſque merentibus uel honorem exhibeat, uel opem ferat. quo factum eſt ut officium, beneficium dicatur, ſiue obſequium, Hõneur, plaiſir, ſeruice. Vt, Officij gratia deduximus eum, Nous l'auons accompaigné pour luy faire honneur. Item, Quandoquidem tuũ in me officium mihi exprobras, nullã tibi habeo gratiam, Puis que tu me reproche le plaiſir que tu mas faict, ie ne ten ſçay point de gré. Et, Eius in te officia ei repẽdere non poſſes, Vous ne luy ſçauries rẽdre les ſeruices quil uous a faict. Hinc officioſus. Il ma touſiours fait tout plein de plaiſirs & ſeruices, Sẽper in me officioſus fuit. Vnde & officioſe aduerbiũ, quo ſic licebit uti, Dy a ma mere que ie me recommande a elle tant hũblement que ie puis, Matri meæ ſalutem quàm potes officioſiſſime nuntiato. Habes præceptor de nomine officium, quæ dicenda putaui.

P. Probo. D. Caue igitur dixeris ſeruitiũ ad iſtum quidem ſenſum. ſignificat enim ſeruitiũ idem quod ſeruitus. Dic, Non functus es amici officio, Non feciſti amici officiũ, Tu nas pas faict ce qu'ung ami doibt faire. Nullum tuum erga me agnoſco officium, Ie ne ſache point que tu mayes faict ſeruice. Quod in me contuliſti officiũ? Quel ſeruice mas tu faict, ou quel plaiſir?

P. Ac, quomodo hic poſitum eſt? D. Inter duos ablatiuos quos connectit.

P. Cedò quos? D. Officio & pietate.

P. *Quo canone eos coniungit?* D. *Coniungunt ſimiles quidē caſus & modos, ſed res tamen diuerſas, &c.*

P. *Cuius ordinis coniunctionum* Ac? D. *Præpoſitiui.*

P. *Quare?* D. *Quia poſtponi non poteſt.*

P. *Ac potius pietate, éſtne hîc figura quæpiam?* D. *Eſt.*

P. *Quænam?* D. *Quam* Rhetores *correctionem appellitant, quum id tollitur quod primo dictum eſt: & pro eo reponitur quod magis idoneum uidetur.*

P. *Ablatiuus* Pietate, *unde pendet?* D. *A tergo uerbi* Satiſfacio, *eadem ratione qua ablatiuus* Officio.

P. *Pietas, quid propriè ſignificat?* D. *Diuinum cultum, ſiue obſeruantiam quandam & reuerentiam cum omni officio, primum in* Deum, *deinde in patriam, tum in parentes, præterea in propinquos & ſanguine coniunctos: poſtremo in eos omneis à quibus magnis affecti beneficijs ſimus.* Græcis *eſt* εὐσέβεια: & εὐσεβῶ, *quod eſt pietatē colo,* σέβομαι *colo, ueneror, &c.* Gallis *uernacula lingua, l'honneur & reuerēce, l'obeiſſance & ſeruice que nous deuons a* Dieu *premierement: apres, la charite & amour que nous deuons auoir enuers noſtre pays, a noz peres & meres, a tous noz ſuperieurs, a ceulx qui ſont de noſtre lignage, qui ſont noz parens, a tous ceulx qui nous ont faict de grans biens.* En *ſomme, lamour ſingulier & affection que nous auons a quelqu'un qui n'eſt en rien inferieur a nous.* Pietas *enim declarat etiā ſingularem amorem: & plus eſt longè, quàm officium.*

P. *Vt dicis Latinè,* Ceſt ung hōme treſdeuot a Dieu? D. *Vir eſt ſumma in* Deum *pietate præditus.* In Deum *admodum pius.* Homo *pietatis in* Deum *non uulgaris,*

aut eximiæ.

P. *Deuotus ergo & deuotio hîc non uſurpas?* D. *Quippe quæ barbara ſint in eo ſignificatu.*

P. *Dic etiã Latinè,* Il *a bien aimé ſon pere & ſa mere, & les a bien ſerui.* D. *Pius fuit in parentes.*

P. *Significat etiam pietas, quod* Gallicè *dicitur pitié?*

D. *Actiuè fortaſſe: paſſiuè non uidetur.*

P. *Quomodo actiuè?* D. *Vt,* Non *ſecus in me pius fuit, quàm pater in filios.* Id *eſt, ut exponit* Perottus, *miſericors, benignus.* Paſſiuè, *Ceſt grand pitié de ceſt homme la.* Non *hîc dicam,* Magna *eſt eius hominis pietas, ſed miſeria.* Il *y a pitie en moy,* Miſer *ego ſum.* Et *i'en ay pitié,* Me *miſeret eius, illius. non autem,* Pietatem *habeo.*

P. *Iam tandem, quis authori delectus in his fuit?* D. *Nimirum, ut officio potius diceret, quàm obſequio.* Nam *officium magis neſcio quomodo in eos quadrat, qui ſe ijs magnopere deuinctos eſſe profitentur, quorũ gratia quippiam faciũt aut præſtant.* Et *pietate: in quo nomine plus multò ponderis eſt, quàm ſi dixiſſet, aut amore, aut obſeruantia, aut aliud quiduis eiuſmodi.*

P. *Erga, quod genus dictionis?* D. *Præpoſitio.*

P. *Quid hîc facit?* D. *Declarat & determinat nomen* Pietate. *ſic enim eſt,* Pietate *erga te: id eſt, quam ego habeo in te, ſi ita liceret dicere.*

P. *Illud* T E, *cuius caſus?* D. *Accuſatiui.*

P. *Qur potius accuſatiui, quàm ablatiui?* D. *Quia* Erga, *flagitat accuſatiuum, non ablatiuum.*

P. *Quid ſignificat* Erga? D. Gallicè Enuers *quelqu'un. refertur enim ad perſonam, non ad rem.* Et *capitur ferè in bonam partem, nonnunquam etiã in malam.*

In bonam:ut Pius *erga parentes. In malam: Ie nay rien meſpris enuers uous,* Nihil *erga te ſum commeritus,* Nihil *erga te peccaui. Item,* Erga *me contumelioſus, Qui me faict tout plein de uilenie & oultrage.*

P. *Qur dixiſti non referri ad rem?* D. *Quia non ſatis* Latinum *eſt,* Turbaris *erga plurima, dicendũque circa.*

P. *Profer ſecundum membrum.* D. *Mihi ipſe nunquam ſatiſfacio.*

P. Ordina. D. *Ipſe nunquam ſatiſfacio mihi.*

P. *Oſtende uerbum.* D. *Satiſfacio.*

P. *Nominatiuum à fronte.* D. *Ipſe.*

P. *Conuenitne huic ſatis cum illo?* D. *Satis.*

P. *Planum fac.* D. *Ipſe, eſt nominatiuus ſingularis numeri, primæ perſonæ: &* Satiſfacio, *eſt eius uerbum, item ſingularis numeri, primæ perſonæ.*

P. *Quid? non tradunt* Grammatici *caſus nominandi omnes eſſe tertiæ perſonæ, præter* Ego *& nos, qui ſunt primæ perſonæ:* Tu *& uos qui ſunt ſecundæ?* D. *Tradunt.*

P. *Tenes regulam?* D. *Teneo.*

P. *Profer in medium.* D. *Omnia nomina, pronomina, & participia, ſunt tertiæ perſonæ, exceptis, &c.*

P. *Qui fit igitur, ut illud* Ipſe, *hîc ſit primæ perſonæ?* D. *Quid? quòd idem poſſet eſſe ſecundæ, ſi uerbum eſſet ſecundæ.*

P. *Ain uero?* D. *Quippe quòd ſit cuiuſque perſonarum indiſcriminatim, ut ipſe lego, ipſe dormis.*

P. *Da uerbi caſum à poſteriore.* D. *Mihi.*

P. *Quis caſus eſt?* D. *Datiuus: nam, ut iam dixi, uerbum ſatiſfacio, exigit poſt ſe datiuum.*

P. Eſtne aliud quicquam cum hoc uerbo? D. Aduerbium temporis, nunquam.

P. A tergóne, an à fronte? D. Iſtud quæri non ſolet de aduerbio, ſed tantum de caſu. Aduerbiũ utrobique attexas licebit, modo iuxta uerbũ colloces. huic enim adhæret, ut eius ſignificationem explanet atque impleat.

P. Quid eſt, Mihi ipſe nunquam ſatiſfacio? D. Non facio ad cupiditatem meam, Non expleo mihi animum, Non facio ſatis meo tui ſtudio.

P. Nónne Satiſfacio, compoſitum eſt ex ſatis & facio? D. Quid tum poſtea?

P. Nam tu diſſoluis compoſitionem. D. Quid inde diſpẽdij? nónne itidem dicimus, Adeo te, & Eo ad te?

P. Perge ad reliqua: reſolue tertium colon.

D. Magnitudo enim meritorum tuorum erga me eſt tanta.

P. Quid horum eſt uerbum? D. Eſt.

P. Quis nominatiuus? D. Magnitudo tuorum erga me meritorum.

P. At enim tuorum erga me meritorũ, nominatiuus non eſt. D. Aſſentior: ſed unà ſunt cum nominatiuo.

P. Declara. D. Quippe genitiuus meritorum, pendet ex nominatiuo magnitudo: & tuorum, eſt eius adiectiuum. & illud erga me, pẽdet ex eodem genitiuo meritorum. Nam ſenſus eſt, Meritorum erga me, id eſt eorũ quæ in me contuliſti: hoc eſt, curæ & diligentiæ, quæ tu in ſalutem meam contuliſti.

P. Eſt ita ut dicis. Sed quur potius genitiuum illum cum nomine, quàm cum uerbo conſtruis? nam uerbũ Eſt, etiã genitiuũ admittit. D. Quia ſenſus orationis oſtendit ad nomẽ, non ad uerbũ referri: Is enim ſenſus eſt, ut

*dixi,*Car la grãdeur des biens que tu m'as faict,*&c.*Iã canon eſt, Subſtantiua nomina res diuerſas ſignificantia, alia aliorum ad quæ pertinent aut referuntur, ſibi genitiuos adiungunt, quoties citra coniunctionem ſimul conſtruenda ſunt. Ad quæ autem pertineant uel referãtur, ſui idiomate Gallico articuli præpoſitiui genitiui caſus facilè indicãt,* Du, de, des, d'une, d'unes. *ut in hoc ſẽſu,* La grandeur des biens: *duo ſunt ſubſtantiua ſignificantia res diuerſas,* Grandeur *&* biens. *Coniungenda ſunt & ſimul conſtruenda in ſenſum quem diximus, idque abſque ulla coniunctione: alterum ergo oportet eſſe genitiui caſus.*

P. *Pulchrè ſanè. at utrum eorum oportet?* D. *Nempe id quod ſequitur articulum præpoſitiuũ genitiui caſus, ſermone quidem* Gallico Des: *quia ad hoc illud alterum pertinet.* Neque *enim per ſe quicquam hic efficeret ſubſtantiuum* Magnitudo, La grãdeur, *quin cõtinuòquæreretur, cuius rei ea magnitudo. Ad hoc igitur illud tendit & pertinet, quod roganti* Cuius, *aptè reſpondeatur. ut ſi hoc tantum proferas* Magnitudo, *& quærat quis,* Cuius *rei magnitudo? probè reſpondebitur,* Meritorum *tuorum.*

P. *Conſentit adiectiuum cum ſubſtantiuo?* D. *Conſentit.*

P. *Demonſtra.* D. *Tuorum, eſt adiectiuum numeri pluralis, genitiui caſus, & neutri generis.* Itẽmque Meritorum, *eſt ſubſtantiuum eiuſdem numeri, caſus, & generis.*

P. *Quod adiectiuum eſt* Tuorum? D. *Pronomen.*

P. *Quotuplex eſt adiectiuum?* D. *Triplex,* Nomẽ, *ut bonus:* Pronomen, *ut. tuus:* Participium, *ut legens.*

P. *Eſtne hic alia conuenientia?* D. *Eſt.*

P. *Quæ?* D. *Nominatiui cum uerbo.*

P. *Oſtende.* D. *Magnitudo eſt.*

P. *Eſt tanta, dicis etiam conuenientiam nominatiui cum uerbo?* D. *Non.*

P. *Quid igitur?* D. *Exactionem.*

P. *Quapropter?* D. *Quia is nominatiuus* Tanta, *conſtruitur à tergo uerbi: uerbum enim ſubſtantiuũ exigit poſt ſe nominatiuum, qui ad eãdem rem pertinet, quam ſignificat nominatiuus anterior.*

P. *Tamen nec numero nec perſona diſſidet à uerbo.* D. *Sit ita ſanè: eóne continuò uerbum tenebitur conuenire cum nominatiuo poſteriore?* Minimè *uero, quia* Veſtes ſunt lana: *non,* eſt lana, *dicimus. Atque de hoc præceptum eſt, Si uerbum ſubſtantiuum poſt duos aliquos nominatiuos diuerſorum numerorum ponitur, ipſum conuenit cum proximiore. Si autem inter duos, cum priore tantùm: ut* Omnia pontus erat. Verba Dei ſunt meditatio Chriſtiani.

P. *Magnitudo meritorum tuorum,* La grandeur de tes biẽſfaictz, *&c. pulchrè hoc Latinè dixiſti: cæterum quomodo dixiſti illud,* Que tu mas faict? *Nõ enim uiſus es mihi dicere, quæ tu feciſti mihi.* D. *Ridiculum, quaſi Latinam linguam oporteat ſeruire* Gallicæ.

P. *Quid tum poſtea?* D. *Quid? nempe quòd nihilæque Latinam linguã corrumpit ac contaminat, cum eadem ſententia efferri ferè ſoleat aliter* Gallicè, *aliter* Latinè.

P. *Vbi igitur enuntiatus eſt ſenſus iſte?* D. *In præpoſitione* Erga, *ſtructa cum accuſandi caſu* Me. *Siquidem,* Tanta eſt magnitudo tuorum erga me meritorũ, perinde

eſt,ut iã admonui,quaſi dicas, Adeò magna ſunt officia, quæ tu in me collocaſti,&c.

P. Erga *præpoſitio, quur ſtructa eſt cum accuſatiuo?* D.Q*uia de grege earum eſt, quæ ſeruiunt accuſatiuo caſui.*

P.*Meritorum,quiſnam intellectus, an idem qui hic eſt,*Q*uòd uapularis,meritum eſt tuum?* D. *Vide quo ſenſu dicatur,*Bene *mereri de aliquo: unde enim exiſtunt merita,id eſt beneficia,ſiue quæcunque præſtantur & efficiuntur alterius gratia.*

P.*Dic ergo Latinè,* Q*uand me recompenſeras tu de tant de choſes que i'ay faict pour toy?* D. Q*uãdo mea in te merita repones?*Q*uando meis in te meritis reſpondebis?*

P.*Reſolue quartum membrum.* D.*Vt quoniam tu non conquieſti de me,niſi re perfecta.*

P.*Dic uerbum.* D.*Conquieſti.*

P.*Cuius generis perſonaliũ uerborum?* D.*Neutrius.*

P.*Regulàne formatum eſt?* D.*Non,ſed figura.*

P.Q*uanam?* D.*Syncope.*

P.Q*uid eſt ſyncope?* D.*Ablatio literæ uel ſyllabæ è medio dictionis:ut conqueſti,pro conquieuiſti.*

P.Q*uem caſum adſciſcit ſibi à poſteriore?* D.*Ponitur plurimum abſolutè:eſt enim uerbũ neutrum abſolutum:aut ſiquem caſum poſt ſe admittit,duntaxat cũ præpoſitione admittit.*

P.*Admiſitne hîc quenquam?* D.*Etiam.*

P.Q*uem?* D.*Ablatiuum cum præpoſitione* de *:eſt enim,*Non *conquieſti de me.*

P.Q*uid autem eſt,*Non *conquieſti de me?* D.*Id eſt, de me ſolicitus eſſe non deſiiſti,*Mearum *rerum ſatage-*

re non cæſſaſti. Aut potius de me, aut propter me.

P. Quot ſignificata habet De? D. Circiter ſe-
ptem.

P. Age dic. D. Primo, ſignificat materiam: ut, Nunc
diſputamus de præpoſitionibus. Secundo, ſignificat à uel
ex: ut Emi domum de Petro: id eſt à Petro. De pueris diſce
quis hoc flagitium fecit, Sachez des enfans qui a faict ce
ſte meſchãceté. Quæſiui de Pompeio: id eſt ex Pompeio.
Clamat de uia: id eſt ex uia. &c. De fructu cognoſcitur
arbor, On congnoiſt l'arbre a ſon fruict. Domum hãc de
patre conduxit extruendam, Il a prins a pris faict ceſte
maiſon de mõ pere. Tertio, ſignificat propter, Latinè qui
dẽ. nã Gallicè ipſum dè auditur. Il eſt laſſé du chemin,
Defeſſus eſt de uia. Il eſt fort ioyeulx de ſes enfans, Læ-
tus eſt admodum de liberis ſuis. id eſt propter uiam, pro
pter liberos, &c. Il uous aime fort de uoſtre Grec, Im-
penſe te amat de literis Græcis. id eſt ob, ſeu propter lite
ras Græcas. La teſte me faict mal du uent, Caput mihi
dolet de uento: id eſt propter uentum. auditur & Galli-
cè propter, hoc modo uidelicet. Il eſt uenu une embaſſade
de deuers L'empereur en Frãce pour la paix, A Cæſare
in Franciam uenit legatio de pace, id eſt propter pacem.
I'ay enuoyé mon garſon chez le libraire pour changer
ces liures, Puerum miſi ad bibliopolam de libris iſtis có
mutandis. Quarto ſignificat ſecundum, ſeu pro. Il faict
ſelon ſa couſtume, De more facit, aut ſecundum morem.
Cela ne ſe fera pas a ton plaiſir, Non id fiet de tua ſen-
tentia. Quinto, Latinè ſignificat per: ſed Gallicè accipi-
tur ipſum idẽ dé. Ie ne puis ueiller de nuict, De nocte ui-
gilare non poſſum, Latinè: id eſt per noctem. Sexto, perin
de ſignificat de, ac ſi dicas, quantum ad, ſiue quod ad.

P. Declara exemplis. D. Quãt a ce que uous me eſcriuez de la penſion de uoſtre filz, uous ſcauez que les uiures ſont chers: toutesſfois ie feray ce que uous uouldrez, De filij tui penſitatione non te clã eſt annona quàm ſit cara: tamen quomodo tibi uiſum erit, faciã. De uoſtre filz il me ſemble ueoir en luy telz ſignes de uertu & engin, que ie ne puis faire, que ie n'eſpere de luy toutes choſes ſouueraines, De filio tuo ea uirtutis & ingenij ſigna uideor in eo perſpexiſſe, ut non poſſim quin de illo ſumma omnia mihi promittam. Hic de, ita declarabitur, Quod attinet ad penſitationem filij, qua de mihi ſcribis, &c, Et, Quãtũ attinet ad filiũ tuũ, uideor perſpexiſſe in eo, &c.

P. Quid eſt, Non conquieſti de me, niſi perfecta re? D. Non deſiſti ſolicitus eſſe & anxius propter me, quoad effeceris ut ab exilio reuocarer. Nihil ceſſauiſti uſque ut me reſtitueres, inquit Cicero: ſignificans Lentulum ſua cauſa omnes labores excepiſſe, & nihil non feciſſe, quo ſuæ ipſe dignitati reſtitueretur.

P. Vnde ſenſum iſtum colligis? D. E uerbo conquieſcere: Nam non quieſcere, ſeu non conquieſcere dicuntur, qui maximè ſtudent & conantur aliquid. In id enim totos (quod dicitur) neruos intendunt, ut effectum dare queant quod cupiunt. Itaque præ curarum multitudine nec dormire poſſunt, nec remittere animum: & tamen nuſquam uidentur defeſſi, cum nihil ſit actuoſius illis, ut iure dicantur inquietes, ſiue inquieti: ſeu ita ſunt ad malum, ut feroces & crudeles: ſeu ad bonum, ut gnauiſſimi & uehementer ſtudioſi. Contrà conquieſcunt ſecuri, & quibus nihil eſt obiectum quod magnopere curent, qui de nulla re laborant.

P. Cæterum quæ utendi ratio? D. Quieſcas, Quie-

tus eſto. Galliçè, Laiſſe faire, Ne te ſoucie. Sex ego te totos hos menſes quietum reddam, ne ſurſum deorſum curſites, néue uſque ad lucem uigiles. Ex Terētio. Gallicè, Ie te oſteray de peine ces ſix mois entiers, que tu ne coures tant ça & là, & ne ueilles iuſques au iour. Item, Non prius quieuit, quàm effecerit illud, ut iuuētuti bonorum authorū lectione interdiceretur, Il n'a ceſſé, qu'il n'ait faict defendre que les ieunes enfans n'ayent à lire les bons autheurs. Non poteſt conquieſcere de filio, Il ne peult auoir repos pour cauſe de ſon filz.

P. Ergo quieſcere etiam eſt Gallicè Ceſſer? D. Næ. Ceſſare enim propriè eſt Gallicè demeurer & tarder, ou arreſter à faire quelque choſe. Vt, Ceſſo eum alloqui, Ie demeure trop à parler à luy. Nec eſt quod addas nimis. Ceſſamus ire ad cœnam, Nous nous retardōs d'aller ſouper. Quieſcere uero propriè eſt Ceſſer.

P. Da paradigma quodpiam. D. Do ex Terentio, Vt quieſcāt porrò moneo, & deſinãt maledicere, Ie leur conſeille doreſnauãt qu'ilz ceſſent & delaiſſent à dire mal des gens.

P. Non etiam ceſſare ſignificat Gallicè Ceſſer? D. Quidni? Vt deſinant, id eſt ceſſent. &, Non ceſſat clamare, Il ne ceſſe de crier.

P. Niſi perfecta re, &c. Perfecta re, quæ hic pars orationis exigit hos ablatiuos? D. Nulla.

P. Quid iſtud? D. Nimirum ex nulla conſequuntur pendéntue.

P. Quomodo igitur contexti ſunt in hac oratione? D. Per ſe, & abſoluté.

P. Quid hoc ſibi uult abſoluté? D. Nēpe quòd per

P. Qui ſcis? D. Nam ſic reſoluuntur, Niſi perfecta re: id eſt, niſi quum perfeciſti rem: niſi dum, quoad, ſeu poſtquam perfeciſti rem, id eſt negotium: id eſt, illud effeciſti ut reuocarer.

P. Ordina quintum colon. D. Quia, inquit, ego non efficio idem in tua cauſa.

P. Quid in hoc pronomine Ego, & in illo ſuperioris membri Tu, ita expreſſis, quid ſpectas? uidetur enim hîc Cicero hoc illi uelut oppoſuiſſe. D. Videtur ſanè, & ita eſt. ſatis enim apparet in eis eximiam quandam emphaſim ineſſe. Nam ut illud Tu, ſuperius: ita hoc Ego, multũ habet põderis: præſertim cum uerbo Efficio, ſignificat enim Cicero ſe magno conatu & molimine facere quod Lẽtulus ipſe ſibi exoptabat & ambiebat, ſed ſe nõ poſſe perficere: non enim poſſe id à Senatu extundere, &c.

P. Quid intereſt inter facio & efficio? D. Facere, eſt in opere eſſe: Efficere uerò, eſt in effectum perducere, & rem perfectam reddere.

P. Dic Latinè, Vous ne ſcauriez faire que les chiens touſiours n'abbayent apres ceulx qui ne cognoiſſent. D. Non efficias ne canes ſemper adlatrent ignotos.

P. Rurſum, Il a faict que ſes gens ont gaigné le procez d'ung bon benefice. D. Illud effecit, ut ſui euicerint li te opimum ſacerdotium.

P. Cedò ſi quid aliud habet elegantiæ. D. Il a tant faict par la faſcherie, qu'en la fin ſon filz a prins ceſte fille, Odio ſuo effecit, ut filius tandem uirginem hãc duxerit. Dicitur & effectum dare, ſiue reddere, pro efficere. Tu as beau faire, ſi ne feras tu pas cela, Facias ſatis licet: id certè effectum non dabis, ſeu reddes.

P. Quid præterea è ſitu & collocatione uerborum hu

ius ambitus notandũ ducas? D. *Nempe orationem uerbo optimè claudi. nam conquieſti, efficio, putem, & quod in ſequenti clauſula eſt, oppugnat, in fine collocata ſunt: quod ipſum pro aurium iudicio imitari licebit.*

P. *Quod aurium iudicium mihi narras?* D. *Id eſt, ſi compoſitio patiatur.*

P. *Quid dicis compoſitionem?* D. *Eam quæ eſt è numeris orationis obſeruanda ab omnibus, qui ornatè & uerè Latinè dicere cupiunt.*

P. *At enim non aperis qui ſint iſti numeri.* D. *Res eſt difficilior certè mihi, quàm ut poſſim: niſi ratio quædam eſt concentus, & (ut ſic dicam) quadrantiæ uocum in contextu & ſerie orationis. Nã & pedibus ſuis quibuſdam certis orationem metiũtur oratores, & ad eorũ modulos connectunt ſingula quò congruunt maximè.*

P. *Quomodo enarras illud, in cauſa tua?* D. *In negotio tuo.*

P. *At uerò cauſa, quid propriè ſignificat?* D. *Rem quæ, ut in hoc loco, controuerſiam habet in dicendo poſitam cum certarum perſonarum interpoſitione.*

P. *Expone Gallicè.* D. *Toute choſe ou il y a a debatre & plaider pour quelqu'ung. Vnde cauſa cadere, C'eſt perdre l'inſtance. & cauſa cedere, quicter les procez. Sed accipitur multis modis, ut pro quadam defenſione ſiue expurgatione: puta ſic, Quam cauſam dices patri, quur à præceptore defeceris? id eſt, Quomodo defendes te de hoc, quod deſeruiſti præceptorem? Quam*

ilz? Que diront ilz pour leurs deſenſes? Quã cauſam re periem, quam cauſam dicent? Dicimus *prætcrea uenuſtè,* C*auſã haud dicas, cauſæ nihil dicas, quin is ſit profuſus ſui: id eſt,* V*ous ne ſcauries dire le cõtraire que ceſtuy la ne ſoit prodigue.* Id *eſt,* Non *poſſis inficias ire, non poſſis negare, concedas oportet, &c.* Item *pro recuſare & detrectare.* Si *tibi non ſoluero ad præſcriptum diẽ, cauſam haud dico quin me in ius uoces,* Si *ie ne te paye au iour dict, ie ſuis content que tu me faces conuenir en iuſtice.* Di*citur etiam, non cauſor, non cauſificor.* Si *ie te trouue menteur, es tu content deſtre battu?* Si *te mendacij conuinco, nunquid cauſare quin uapules?* Diuer*ſum eſt.* Non *ſum in cauſa,* Ie *nen ſuis pas en cauſe. Quòd negotia ma lè geſſeris, in cauſa eſt ſocordia tua. Quid cauſæ quur non promoueas in literis?* Id *eſt, Quid uetat, quid prohibet?* Il *ny a rien qui me garde de uiure à mon plaiſir, ſi ie ueulx,* Nihil *cauſæ eſt, quur non obſequar uoluptati, ſi uidetur.* Reperitur *& cauſa pro conditione & ſtatu: ut,* In *eadẽ ſum cauſa, qua antea erã. Ce neſt pas tout ung de nous & de moy.* Ego *& tu non ſumus in eadẽ cauſa.*

P. *Iam tandem dic clauſulam & periodum.* D. Vt *uitam mihi eſſe acerbam putem.*

P. *Quis ordo eſt?* D. Vt *putem uitam eſſe mihi acerbam.*

P. *Dic uerbum.* D. *Putem.*

P. *Quur hoc in fine collocatum eſt?* D. *Quia uerbum eleganter ultimum locum orationis ſortitur, quemadmodum paulo antè diximus.*

P. *Quæ eſt eius conſtructio?* D. *Conſtruitur cum oratione infinitiua, uitã eſſe acerbã mihi. eius enim hæc ſignificationem explicat: itaque ei eſt uice appoſiti.*

P. *Quidnam uocas appoſitum?* D. *Grammatici eſſe dicunt caſum uerbi à poſteriore: ſicut nominatiuũ ante uerbum perſonale finiti modi, ſuppoſitum. Infinitiuus autem uel ſine caſu, uel cum caſibus ſuis non rarò adiũgitur uerbo finito pro ſuppoſito (ut ita dicám) aut appoſito, fungitúrque officio nominis: ut,* Legere, *& non intelligere, negligere eſt.*

P. *Cæterum quæ eſt natura infinitiui* Eſſe? D. *Vt caſum poſt ſe habeat eundem & ſimilem ei, qui primus inuenitur ante ipſum. quanquam præcedente datiuo, recte poſt ſe recipit accuſatiuum: ut,* Mihi licet eſſe *diuitem ſi uelim.*

P. *Quid ſibi uult acerbam?* D. *Inſuauem, iniucundam, & plenam ſolicitudine.*

P. *Vitam mihi eſſe acerbam puto, quomodo hoc* Galli *uernacule dicimus?* D. *Equidem ſic fermè opinor,* Ie *me faſche de uiure, que ie ne puis faire pour uous en uoſtre affaire, ce que uous auez faict pour moy au mien.* Vt *addatur illud,* Quoniam *non idem in tua cauſa efficio, &c.*

P. *Perge rem exẽplis illuſtrare.* D. *Igitur quod* Gallicè *dicitur,* Il *luy ennuye de uiure,* Latinè *non dubitabo dicere,* Vita *eſt ei acerba. & fortaſſe, quod eſt apud* Terẽtium, Seſe odit: Græci *dicunt,* ἀβίωτον τὸν βίον, *quaſi quibus uita eſt acerba, uiuendo non uiuant.* Metaphora *à fructibus non maturis. tunc enim proprie dicuntur acerbi.* Gallicè *etiam dicitur,* Cela *luy eſt bien aigre,*

modo aduerſa aduerſorum, Tant d'ennuys & faſcheries tous les iours adviennent de ce monde a l'homme, *Tot quotidie acerba homini ex hoc mundo offeruntur.*

P. *Putare, quid propriè ſignificat?* D. *Luxuriem quandam, id eſt, quæ redundant & ſuperflua ſunt, reſecare: ut putare uites dicimur, quum eis ſarmenta abſcindimus.* Galliè, *Tailler ou poer les uignes.* Tranſfertur autem ad animum, & ſignificat exiſtimare: quòd cogitando dum in id inclinat animus, quod in rem fore uidetur, cætera omnia reijcit. Accipitur interdum pro eo quod eſt, cõferre rationem, ſubducere rationem, ponere calculum. Nam Plautus dixit, *Putatur ratio cum argentario,* On compte auec l'argentier. Hinc compoſitum ex eo *Supputare.*

P. *Dic aliquot alia ex eodem compoſita.* D. *Diſputare, quod eſt differere de re quapiã.* Il traicte fort bien de ceſte matiere, *Optime de hac re diſputat.* Deputare, *id eſt cenſere.* Reputare, *id eſt conſyderare.*

P. *Cõfice ex his orationem.* D. *Cum mecum reputo, quanta me neceſſitas eius hominis mores perferre cogat, non deputo quenquã uſquam gentiũ eſſe æquè miſerũ ac me. id eſt,* Quand ie penſe a moymeſme, combien m'eſt force d'endurer ceſt homme la qui eſt ſi terrible, ie ne penſe point qu'il y ait homme au monde ou il y ait ſi grande pitié qu'en moy.

P. *Ex reputo fit ne reputatio uerbale nomen?* D. *Quorſum iſtud?*

P. *Num rectè dicitur,* Ipſe eſt bonæ reputationis, *ubi* Galliè *dicitur,* Il eſt de bonne reputation? D. *Minimè: ſed dicendum eſt,* Bonæ exiſtimationis.

P. *Rectúmne eſt,* Deputauerũt cuſtodes? *id eſt,* Ilz ont

deputé pour gardes,&c. D.Non.ſed conſtituerunt ſeu legerunt cuſtodes.

P. Vt,hoc loco unde pendet? D.Ex ſuperiore nomine Tanta.

P. Licuiſſétne authori dicere,Tanta quòd,quemadmodum uulgus ferè ſolet? D. Non.

P. Quid in cauſa eſt? D. Delectus.

P.Quid ita? D. Quia poſt tam,tantus,talis,adeò, tot,ſic,ita:& poſt uerba rogandi, iubendi: item poſt facio,efficio,fio,timeo,uereor,metuo,ſequitur Vt,nō Quòd: ut,Tam ſegnis eſt,ut ad opus exire nolit,Il eſt ſi pareſſeux,qu'il ne ueult aller a la beſongne.Nullum tam impudens mendacium, ut teſte careat.Tanta eſt magnitudo tuorū erga me officiorū,ut,&c. Talis fuit,ut cum eo nemo durare poſſet. Adoleſcentula eſt uultu adeò modeſto,adeò uenuſto,ut nihil ſuprá.Tot mala ubique ſunt,ut quò te uertas, tibi prorſus incertum ſit. Sic Deus dilexit mundū, ut filiū ſuum unigenitum daret. Ita doctus eſt, ut ne legere quidem ſciat. Poſt uerba rogandi. Orat te,ut ad ſe uenias. Te precor, ut ne uelis mihi aduerſari. Obſecro, obteſtor, ut te inopis miſereſcat mei. Diſcipuli rogant, ut ſibi ego prælegam libros Rhetoricorum.

Poſt uerba iubendi.CHRISTVS ait, Hæc mando uobis,ut diligatis uos inuicem.Interdico tibi,ne puerū extuliſſe extra ædes uſquam uelis,Ie te defens que tu ne

*ut ſciam.*Non *efficies ut ſint meliores.Cum nullam des literis operam,fit ut nihil ſit mirum ſi oratione imperitus es.* Poſt *uerba timoris,*Vt,*ſignificat ne non:ut* Me*tuo ut ſubſtet hoſpes.* Vereor *ut firmæ ſatis ſint nuptiæ: id eſt,ne non.*

P. *Scripſi ut ſcribas* , *eſt oratio* Latina *ſatis?* D. Non *uidetur.*

P. Q*uomodo igitur dicendum cenſes?* D. *Scripſi ut reſcriberes.*

P. Q*uur ita potius?* D. N*am cum* V T *ponitur poſt uerbum præſentis aut futuri temporis, ſequi debet uerbum ſubiunctiui modi,præſentis etiam temporis.*De *præſenti,*Te oro Daue,*ut redeat iam in uiam.* De *futuro,*I*llud efficiet* Deus, *ut componatur pax inter monarchas.* At *quum præcedit uerbū præteriti temporis, ſeu perfecti,ſeu imperfecti,ſeu plus quàm perfecti,adſciſcit ſibi* V T *ſubiunctiuum præteriti imperfecti:ut,*Sua*debat ut abires.* Vol*uit* C H R I S T V S *ut amaremus inter nos.* Venera*t ut uideret.*

P. A*n præcedente uerbo præteriti perfecti temporis, & indicatiui modi,poſt ut,non licet adſtruere niſi præteriti imperfecti ſubiunctiuum?* D. I*mò uerò licet & præteriti perfecti:ut,*I*ta conſumpſit omnia,ut nihil reliqui fecerit.*

P. Po*téſne iſtud nobis probare authoritate aliqua?* D.*Suetonius in* A*uguſto,ſi libet, citetur:* Tan*tis, inquit, perterruit minis,ut is ſe præcipitarit.*

P. Q*uot modis uſurpatur* Vt? D. M*ultis.*

P. P*lanum fac.* D. Pri*mo,pro poſtquam: & tunc iungitur indicatiuo.exemplū,*Vt *ab urbe diſceſſi,nullam intermiſi diē quin aliquid ad te literarū darem. id eſt*

poſtquam. Secundo, *pro quemadmodum, uel ſicut, idque rurſum cum indicatiuo.* Ita *faciam, ut iubes.* Credo, *ut eſt impudens, id ſibi arrogabit.*

P. *Mane parumper: eſt etiam in* V T, *neſcio quid peculiare, quod non admodum diuerſum uideri queat ab iſto tuo poſtremo exemplo.* Nam *quomodo* Latinè *dicas,* Il *eſt homme aſſez docte, pour ung hõme de* France? D. Vir, *ut in* Gallia, *literis ſatis eruditus: quemadmodũ dici poſſe opinor:* Alexander, *ut temporibus illis, non malus author fuit,* L'alexander *pour ce temps la, n'a point eſte mauuais autheur.*

P. Sat *habeo: perge ad reliqua.* D. Igitur *tertio accipitur pro quàm, quod ſignificat quantum: ueluti,* Vt *ferox eſt, id eſt, quàm ferox.* Quarto, *pro quomodo interrogatiuè. & his duobus proximis modis non intuemur diſcrimen modorũ.* Vt *uales? ut ualuiſſes? ut fecerit, neſcio. ut declinatur? & dic ita ut dixiſſes.* Quinto, *pro quanuis:* Vt *deſint uires, tamen eſt laudanda uoluntas.* Præter *hæc, ut, eſt aduerbium ſimilitudinis:* Vt *homo eſt, ita feras.* Vt *mores ſunt, ita fortuna reſpondet.* Quadrat *& ſuperlatiuis, præceptore* Valla: Vt *quiſque maxime placet mũdo, ita eſt nequiſſimus.* Eſt *& imprecatiuũ,* Vt *omnes antichriſtos* Deus *perdat.* Que *male fin puiſſe tu faire, ne me croiras tu pas?* Vt *te* Deus *perdat, non eris mihi dicto audiens?* Vt *tibi ſit male.* Inaudita Latinis *ſunt*

digna. D. *Curabitur obſeruande præceptor.*

P. *Superéſtne quicquã quod uideas de hac periodo?*

D. *Nihil puto: excuſſimus omnia.*

VITTORIO EMANVELE BIBLIOTECA ROMA

EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS PARISIIS, ANN.

M. D. XLIIII. XV

CAL. MART.

W